

DUBIUM VII.

An gratia habitualis sit absolutè, & simpliciter perfectior forma substantiali?

72 **I**n hac controversia supponimus primò, gratiam habitualem esse simpliciter perfectiorem omnibus habitibus supernaturalibus. Ita communiter Theologi. Nam substantia est simpliciter perfectior omnibus suis proprietatibus, & accidentibus connaturalibus: item natura divina pro explicito est perfectior simpliciter omnibus suis attributis: ergo etiam gratia est simpliciter perfectior omnibus habitibus, & accidentibus sibi connaturalibus. Antecedens supponitur. Et consequentia probatur: ideo enim antecedens est verum, quia substantia in se indivisa continet eminenter per modum radicis omnes suas proprietates, & accidentia connaturalia, & natura divina sua attributa; sed gratia est huiusmodi, cum sit natura in ordine supernaturali creata: ergo etiam gratia est simpliciter perfectior habitibus omnibus, & virtutibus supernaturalibus.

73 Supponimus secundò, gratiam habitualement esse simpliciter perfectiorem omnibus operationibus supernaturalibus non solum divisivè, sed etiam collectivè sumptis. Ita frequentius Theologi. Quoad utranque partem probatur: nam substantia creata est simpliciter perfectior omnibus suis operationibus connaturalibus sive divisivè, sive collectivè sumptis, & natura divina pro explicito est simpliciter perfectior omnibus suis operationibus sive divisivè, sive collectivè sumptis: ergo etiam gratia est absolutè perfectior omnibus suis operationibus tam divisivè, quam collectivè acceptis. Antecedens supponitur. Et consequentia probatur: ideo antecedens est verum, quia tam substantia, quam natura divina continet per modum nature & radicis indivisè respectivè omnes suas operationes, & quia operari ordinatur ad esse, & non contrariè; sed hæc ratio probat æquè de gratia habituali, quæ persè primò instituta est ad dandum esse absolutè in linea supernaturali: ergo est absolutè perfectior omnibus suis operationibus sive divisivè, sive collectivè acceptis. Nec simile est de potentia relatè ad operationem adæquatam, & de habitu relatè etiam ad suam operationem adæquatam. Nam licet potentia sit simpliciter perfectior quolibet actu divisivè accepto, eò quod contineat perfectionem specificam aliorum, quorum præcontinentia supereminet simpliciter maiori actualitati in quolibet actu inadæquato reperta; imperfectior tamen simpliciter est suo actu adæquato: quia ad hunc ordinatur, & non contrariè, & aliunde actus adæquatus dicitur

tendentiam adæquatam per modum actus secundum ad totum obiectum potentia: unde non est mirum, quòd actus sit perfectior potentia. Econtrariè gratia non ordinatur ad operationem, sicut nec substantia: ideo est perfectior actu adæquato omnium virtutum.

74 Supponimus tertio, unionem hypostaticam esse absolutè perfectiorem gratia habituali, propter ea quæ dicimus ad 3. part. tract. de Incarnatione. Unde tantum remanet difficultas de gratia comparativè ad formam substantialem, sive creatam, sive possibilem. (Supponimus ad statum questionis impossibilitatem substantiæ creatæ supernaturalis.)

In quo duplex est sententia. Prima negativa, quam tuetur Scotus in 4. dist. 10. quæst. 8. conc. 2. Richard. in 2. dist. 26. art. 2. quæst. 2. Faber, & communiter alij Scotistæ. Quos sequuntur plures recentiores Societatis, Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 32. sect. 2. num. 32. Lorca in præf. quæst. 113. art. 9. Ripald. tom. 1. disp. 21. sect. 2. & alij. Cui suffragantur ex Thomistis Caprol. in 2. dist. 26. quæst. vnicæ ad 6. argument. Aureol. Caiet. 2. 2. quæst. 23. art. 3. Conrad. in præf. art. 2. in respons. ad 2. & novissimè Ferre in præf. num. 453. ¶ Secunda est affirmativa, quam defendunt Ledesma de Perfect. divin. quæst. 4. art. 6. sub art. vnicò concl. 3. Martinez in præf. art. 1. dub. 2. Cabrera 3. part. quæst. 64. art. 1. disp. 1. §. 2. Curiel infra quæst. 112. art. 1. dub. 1. §. 1. Arauxo lib. 7. Metaphys. quæst. 1. art. 4. in præf. quæst. 113. art. 9. dub. vnic. & alibi, Gonet in præf. disp. 2. num. 24. NN. Salm. in præf. disp. 4. dub. 7. & nonnulli ex Societate. Cum quibus fit.

§. I.

Prælatio sententiæ affirmativæ.

75 **D**icendum est, gratiam habitualement esse simpliciter perfectiorem omni substantia creata, & creabili, licet sit imperfectior secundum quid. Pro quo nota, perfectionem alicuius rei posse accipi dupliciter: primò absolute, scilicet, & secundum quid. Perfectio primo modo accepta desumitur penes nobiliorem speciem, seu essentiam, quæ à differentia essentiali desumenda est. Posteriori modo accipitur penes aliquem conceptum accidentalem. Et iuxta has duas acceptiones, substantia est perfectior simpliciter accidentibus; accidentia tamen sunt substantia perfectiora secundum quid, quia excedunt illam in maiori actualitate. Ad hunc sensum libenter concedimus primæ sententiæ, quòd omnis substantia est secundum quid perfectior gratia habituali, quia est ens per se, & propter se; & gratia est pura affectio substantiæ, & non absolute ens, cum sit

Dub. VII. An gratia habitualis sit absolutè, & simpliciter perfectior &c? 265
fit accidens. Per quòd assertio quoad secundam partem manet probata.

Quoad primam verò, & præcipuam probatur primò nonnullis testimonijs Div. Thom. Nam infra quæst. 112. art. 2. probat, nullam creaturam posse principaliter producere gratiam, quia hæc excedit omnem naturam creatam; sed hæc ratio esset nulla, si non excederet eam excessu simpliciter, cum videamus plures effectus excedere secundum quid suas causas principales: ergo gratia est perfectior simpliciter substantia creata. Item quæst. 113. art. 9. inquit, quòd creatio est maximum opus Dei ex parte modi faciendi, sed ex parte rei factæ maior est iustificatio: sensit ergo, quòd gratia, quæ est terminus iustificationis, est simpliciter perfectior substantia, licet hæc sit terminus creationis. Idem tradit in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 5. quæstiuic. 1. ad 1.

Confirmatur ex SS. PP. nam D. August. lib. 2. ad Bonifacium cap. 6. prope fin. ait: *Gratia Dei non solum omnia sidera, & omnes cælos: verum etiam omnes Angelos supergreditur.* Et serm. 15. de Verbis Apost. inquit: *Melius est iustum esse, quam hominem esse.* Idem repetit alijs in locis. Nazianz. orat. 4. hæc habet: *Quemadmodum creavit nos Deus, ita creatos instauravit, ac refinxit: & quidem figmento diviniore, primumque figmentum superante.* Quibus accedit illud 2. Petri 1. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit ut per hæc efficiamini divini consortes nature.*

76 Deinde probatur ratione: Nam id, quòd secundum suam ultimam & atomam differentiam magis accedit ad perfectionem Dei, est absolutè & simpliciter perfectius, ut induktivè potest ostendi ab infima substantia usque ad supremam creatam; sed gratia habitualis secundum suam ultimam differentiam magis accedit ad perfectionem Dei; quam qualibet substantia creata: ergo est absolutè & simpliciter perfectior omni substantia creata. Minor probatur: nam quòd magis imitatur perfectionem Dei secundum modum proprium ipsius Dei, quam qualibet substantia creata, & propterea gratia est participatio formalis nature divinæ, secus verò substantia: ergo gratia secundum suam ultimam differentiam magis accedit ad perfectionem Dei, quam omnis substantia creata.

77 Respondet Ripalda, gratiam habitualement solum dicere accessum maiorem ad Deum in esse intentionali, nempe per amorem, & cognitionem, secus verò in esse physico: & propterea non debet iudicari simpliciter perfectior substantia.

Contra est primò. Quia nulla est entitas Tom. III. Paul. Theol. Salm.

creata physica, quæ physice non accedat ad perfectionem Dei, & illum aliquo modo non imitetur, alias non esset physica participatio illius: ergo etiam gratia dicitur aliquem accessum physicum ad perfectionem Dei; sed hic accessus est absolute maior pro priori ad omnem operationem, quam accessus substantiæ: siquidem est physica participatio formalis, & non tantum intentionalis nature divinæ; & substantia creata est tantum physica participatio virtualis: ergo propter hunc maiorem accessum physicum gratia est simpliciter perfectior substantia creata. ¶ Tum etiam. Nam accessus gratiæ, quem Ripalda vocat intentionalem per cognitionem, & amorem, est talis, ut tendat ad Deum, prout est in se; sed hic accessus ad Deum, prout est in se, arguit maiorem perfectionem simpliciter: sicut accessus intentionalis, etsi abstractivus, ad Deum ut finem naturalem arguit absolute maiorem perfectionem, supra id quòd ad Deum nullo modo potest accedere, ut liquet in Angelo, & anima rationali respectu animæ bruti: ergo gratia habitualis est perfectior simpliciter substantia creata propter excessum adhuc intentionalem.

78 Tandem probatur ratione. Illa natura est simpliciter perfectior, cui correspondent operationes, proprietates, & finis simpliciter perfectiores; sed operationes, & proprietates gratiæ, finisque illi connaturalis correspondens, sunt simpliciter perfectiores quam operationes, & proprietates substantiæ creatæ, finisque illius connaturalis: ergo gratia est simpliciter perfectior substantia creata. Minor videtur innegabilis: siquidem operationes propriæ gratiæ, & virtutes illius, utpotè supernaturales, habent pro obiecto Deum prout est in se; quod nequeunt attingere operationes, & potentia substantiæ creatæ: & idem dicendum est de Deo ut fine gratiæ. Maior verò probatur: tum quia operari sequitur ad esse: ergo perfectiores operationes, & proprietates supponunt nobilius esse. Tum etiam: nam proximum medium quoad nos cognoscendi naturam sunt operationes, & eius proprietates: ergo nobiliores operationes, & proprietates manifestant nobis perfectiorem naturam; alias non daretur demonstratio à posteriori. Tum deniquè: nam primum principium in aliquo ordine, & ultimum finis ei connaturalis mutuo sibi correspondent: ergo finis simpliciter perfectior petit ad sui connaturalem attingentiam naturam simpliciter perfectiorem.

Accedit, quòd gratia habet perfectiorem specificativum, quam substantia creata: ergo est simpliciter perfectior. Consequentia inductione liquet. Et antecedens probatur: nam substantia specificatur ad esse naturali, & gratia à natura divina, cuius est formalis participatio, vel ad esse supernaturali, cum ordinetur persè

primò ad constituendum hominem in esse supernaturali; sed quodlibet ex his specificativis est simpliciter nobilior, quam esse naturale substantiæ; ergo gratia habet nobilior specificativum, quam substantia creata. Maior constat ex dictis dub. præced. Et minor quoad primam partem non indiget probatione: nam nullus dubitabit, nisi mentis impos, quòd natura divina, prout est in se, est perfectior simpliciter quolibet esse substantiali creato. Quoad secundam verò probatur: nam esse est finis operationis, cum operatio ordinetur ad manifestandum esse cuiuslibet naturæ; sed operatio gratiæ est perfectior operatione naturali: ergo etiam esse illius est perfectius esse substantiæ.

Ex his inferitur primò, gratiam habitualem esse simpliciter perfectiorem omnibus accidentibus naturalibus; quia quia substantia est illis simpliciter perfectior: ergo si gratia est perfectior substantiæ, etiam debet esse perfectior accidentibus. Tum etiam: quia accidentia conveniunt cum gratia in modo habendi existentiam; sed gratia ulterius est ordinis superioris: ergo debet esse illis simpliciter perfectior.

Inferitur secundò, quemlibet modum entitativè supernaturalem esse simpliciter perfectiorem substantiæ; quia motiva supra ponderata æquè probant de modo supernaturali, & potiori iure de qualibet alia entitate item supernaturali, ac de gratia habituali, ut confideranti constabit.

§. II.

Opinionis adversæ fundamenta.

79 **A**rguitur primò ex D. Thom. in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. ad 3. ubi ait: *Simpliciter anima est melior charitate, & quodlibet subiectum suo accidenti; sed secundum aliquid est e converso: quia anima habet nobilior esse, quam accidens, ideo simpliciter nobilior est.* Idem docet quæst. 27. de Verit. art. 1. ad 6. ergo iuxta D. Thom. substantia est simpliciter nobilior gratia.

Nec refert, si dicas, D. Thom. retractasse in Summa, iuxta testimonia supra relata, & alia quæ ex ea adduci possent, sententiam, quam in alijs suis operibus docuit. Non, inquam, refert: Nam in præf. quæst. 110. art. 2. ad 2. hæc habet: *Ipsa participatio bonitatis, quæ est gratia, imperfectiori modo habet esse in anima, quam anima in seipsa subsistat. Est tamen nobilior quam natura anime, in quantum est expressio, vel participatio divine bonitatis, non vero quantum admodum essendi.*

Ad hoc argument. respondetur sustinendo solutionem inter arguendum datam. Et ad

eius replicam dicendum est, tantum inferri ex testimonio D. Thom. quòd anima quantum ad modum habendi suum esse est perfectior, quam modus quo gratia habet esse. Non verò sequitur, quòd ipsum esse anime sit absolute perfectius esse gratiæ, sed potius oppositum sequitur ex alijs eius testimonijs. Et propterea in testimonio proxime relato non dixit, quòd anima habet nobilior esse, sed quòd est nobilior quantum ad modum essendi.

80 Arguitur secundò. Ens simpliciter est perfectius simpliciter, quam ens secundum quid; sed substantia creata est ens simpliciter, & gratia tantum secundum quid: ergo substantia est simpliciter perfectior gratia. Minor quoad utramque partem constat: nam substantia existit per se, secus verò gratia; cum sit accidens, de cuius ratione est, quòd sit entis ens, seu ens secundum quid.

Confirmatur primò. Inter duo analogata principale est absolute perfectius minus principali; sed substantia, & accidens, sub quo comprehenditur gratia, sunt analogata entis, & substantia est principale analogatum, ut supponimus ex Logica: ergo substantia est perfectior simpliciter gratia.

Confirmatur secundò. Nam gratia secundum conceptum genericum est imperfectior substantiæ: ergo etiam secundum conceptum specificum. Consequenter probatur: ideo antecedens est verum, quia secundum conceptum genericum est verum accidens; sed secundum conceptum specificum etiam est accidens: ergo. *Adde*: Quia non stat, quòd species adæquata generis inferioris excedat simpliciter speciem adæquatam generis superioris, quamvis aliqua species inadæquata generis inferioris excedat simpliciter aliam speciem inadæquatam generis superioris; sed genus substantiæ est perfectius simpliciter genere qualitatis: ergo nulla est species qualitatis, quæ absolute sit perfectior omnibus speciebus substantiæ; sed si gratia esset simpliciter perfectior omni substantia creata, & creabili, iam species adæquata generis inferioris excederet totam speciem generis superioris: ergo. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, constat à paritate in voluntate, & intellectu respectivè ad adæquatum actum uniuscuiusque.

Ad argument. respondetur distinguendo maiorem: quando sunt in eodem ordine, concedo maiorem; quando sunt in ordine diverso, nego maiorem. Et concessa minori; negari debet consequentia. Licet enim substantia sit ens simpliciter, est tamen ens naturale; gratia verò est entitativè supernaturalis, & ordinis longe superioris: ideoque debet esse perfectior simpliciter quam substantia, quamvis ex ratione communi accidentis sit ens secundum quid. Sicut substantia completa, v. g. Angelus, est ens sim-

simpliciter; & quilibet modus substantialis est ens secundum quid; & hoc non obstanti, unio hypostatica, quæ est quidam modus, est absolute perfectior substantia Angeli, quia est ordinis superioris. Et ratio horum est: quia quando ens secundum quid est ordinis supernaturalis, & hypostatici, non conformatur cum eius subiecto, nec eius perfectio desumitur ab illo, sed à principio longè nobiliori, nempe à prædicato divino quod participat, & ad quod persè tendit: & propterea non repugnat, quòd sit ens secundum quid, & quòd excedat simpliciter substantiam completam, quæ est ens simpliciter, sed ordinis naturalis.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd si duo analogata sint talia analogia proportionalitatis, unum ex illis ex vi huius analogiæ nequit dici perfectius alio: quia non explicatur dependentia unius ab alio, sed tantum æqualitas proportionum: ut cum dicimus, *Ita se habet cor ad vitam, sicut fundamentum ad domum.* Hanc æqualitatem proportionis habet gratia cum substantiæ: quia sicut substantia est radix suarum proprietatum, & operationum; ita gratia est radix suarum proprietatum, & operationum. Unde ex vi huius analogiæ, nec gratia est analogatum principale, nec substantia. Analogia autem attributionis causatur per dependentiam: & in ea locum habet principale, & minus principale analogatum, ita ut id erit principale analogatum, quod minus dependet; & illud minus principale, quod magis dependet ab alio. Collatis tamen gratia, & substantia inter se, magis dependet substantia à gratia, quam e converso: nam gratia tantum dependet à substantiæ in genere causæ materialis; & substantia dependet à gratia in genere causæ formalis, & finalis. Et hæc de causâ debet gratia dici principale analogatum. Alia est ratio in accidentibus naturalibus, ideoque relate ad ea substantia est principale analogatum. Quibus addi potest iuxta solutionem proxime datam argumento, maiorem esse veram, cum sunt in eodem ordine analogata, secus verò quando principale est in ordine naturali, & minus principale in ordine supernaturali.

Ad secundam respondetur distinguendo maiorem: est imperfectior logicè, & transeat; physicè, nego maiorem: Quia conceptus genericus sit determinatè naturalis, si contrahatur per differentiam atomam naturalem; & sit physicè determinatè supernaturalis, si contrahatur per differentiam supernaturalem. Et in hoc sensu falsum est, quòd conceptus genericus substantiæ sit perfectior conceptu generico qualitatis. At conceptus genericus logicè acceptus præcindit ab eo, quòd sit naturalis, aut supernaturalis, quando sub se habet species tam naturales, quam supernaturales. Ideoque non inconvenit, quòd conceptus genericus alicuius

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

prædicamenti sit logicè perfectior alio, quamvis sub hoc continetur species absolute perfectior, quia solum explicat id, quod habet ex suo conceptu præciso, non explicata perfectione quantum physice habet à speciebus connaturalibus. Et hoc pacto est conceptus *Substantia* relate ad conceptum *Qualitatis*.

Per quod constat ad additamentum. Nam si genus est perfectius tam physicè, quam logicè, verum est, quòd genus nobilior debet habere speciem adæquatam nobiliorem; secus verò si genus est nobilior logicè, & non physicè: & ita se habet genus substantiæ. Nec mirum est, nam ad prædicamentum qualitatis pertinent distinctè species supernaturales, & non ad prædicamentum substantiæ. ¶ Quibus addi potest primò, quòd ad genus substantiæ spectat unio hypostatica, quæ longè perfectior est omni qualitate supernaturali. ¶ Addi potest secundò, quòd potentia activa (qualis est intellectus, & voluntas) si est perfectior, debet habere actum adæquatam perfectiorem; secus verò potentia perfectior passiva: ut liquet in materia cælesti respectu sublunaris: Et conceptus genericus est adintar potentia passivæ; non activæ. Et ratio discriminis potest desumi ex diverso modo tendendi ad suum actum adæquatam: nam modus tendendi potentia activæ arguit perfectionem; modus autem tendendi potentia passivæ cum sit per receptionem, non adeo aperte arguit perfectionem, sicut nec continentiam, sed meram capacitatem passivam.

81 Arguitur tertio. Nam substantia minus dependet à gratia, quam e converso, estque illa permanentior: ergo & simpliciter perfectior. Antecedens videtur certum: nam substantia potest existere sine gratia, gratia verò non potest existere saltem naturaliter sine substantia. Consequentia verò probatur: nam quia Deus est omnino independens, & sum esse, est perfectissimus; sed quod est permanentius, est coniunctus cum suo esse: ergo si substantia minus dependet à gratia, estque illa permanentior, etiam erit illa perfectior.

Ad hoc argument. respondetur permittendo antecedens quoad utramque partem; sed negando consequentiam. Nam forma equi v. g. magis dependet in existendo ab hac portione materie, quam ipsa materia, cum nequeat naturaliter esse sine illa, & hac portio materie possit esse sine forma equi; & tamen forma equi est perfectior. Unde illa minor dependentia, & maior permanentia solum arguit maiorem perfectionem quoad modum essendi, quæ est maiortas secundum quid. Sed cum perfectio simpliciter desumatur ex proprio specificativo, & specificativum gratiæ sit perfectius specificativo substantiæ; hinc evenit, quòd gratia sit perfectior substantiæ.

Permissimus antecedens. Nam revera, supposita existentia gratia, magis dependet substantia ab ea, quam converso: quia gratia tantum dependet a substantia in genere cause materialis receptivae. At substantia dependet a gratia in genere cause formalis; cum constituat eam in esse divino: & in genere cause finalis: cum ordo naturae ordinetur ad ordinem gratiae. Item gratia est non minus permanens, quam substantia, eisdem sit spiritalis: quia petit ex natura sua in aeternum durare, ut docet D. Thom. quaest. 7. de Verit. art. 6. ad 7. & propterea dicitur ab Apost. *vita aeterna*. Si vero non durat in aeternum, est, quia communicatur subiecto defectibili, & cui non plene dominat ex dispositione illius.

DUBIUM VIII.

An sit possibilis gratia habitualis specificè excellenti perfectior?

82 **A**liqui putant, possibilem esse gratiam identitatem cum charitate. Ex quo non incongrue inferunt, huiusmodi gratiam fore specie distinctam a gratia, de qua hucusque loquuti sumus, esseque illa perfectiorem. Ita Granad. contr. 8. de Grat. tract. 4. disp. 4. quem refert, & novissime sequitur Maria tract. de Iustis. disp. 1. sect. 4. Sed hic modus dicendi satis recijcitur ex dictis dub. 4. ¶ Alij docent, dari in peccatore quandam gratiam radicantem fidem, & spem, insistentemque per modum radicis in actus harum virtutum. Qui modus dicendi cum suis fratribus manet relatus, & impugnatus tract. 2. disp. 3. dub. 4. Maxime, quia hic modus dicendi non conducit ad praesentem controversiam, cum debeat supponi, huiusmodi gratiam esse imperfectiorem specificè gratia iustificante, de qua est sermo.

Circa quam supponimus primò, dari gratias specie distinctas in esse morali, videlicet gratiam Christi, & gratiam puri hominis: siquidem distinguuntur penes finitum, & infinitum esse moris, cum gratia Christi sit principium meriti infiniti, & gratia puri hominis sit principium meriti tantum finiti; sed quae differunt penes finitum, & infinitum, nequeunt non moraliter specificè distingui: ergo defectò dantur gratiae specie distinctae in esse moralis. ¶ Supponimus secundò, dari defectò gratias specie saltem accidentali distinctas: Nam gratiae, a quibus dimanant proprietates, & effectus specie distincti, nequeunt non distingui specie saltem accidentali; sed defectò dantur gratiae habituales, a quibus oriuntur proprietates, & effectus specie distincti: nam a gratia nostra dimanat virtus poenitentiae, secus verò a gratia Christi: a gratia nostra dimanant virtutes infu-

saes morales moderativae sensitivae appetitus, secus verò a gratia Angelorum: a gratia viae dimanat fides, & spes, & non lumen gloriae: & a gratia patriae dimanat lumen gloriae, & non fides, & spes: a gratia Adae dimanant speciales perfectiones, quae non dimanant a gratia sanante: gratia etiam sacramentalis habent diversos effectus, petuntque diversa auxilia, ut dicitur in tract. de Sacramento. ergo defectò dantur gratiae distinctae specie saltem accidentali. Difficultas tamen potest esse, an huiusmodi gratiae propter dicta sint distinctae specie essentiali?

Pro qua supponimus, defectò non dari gratias distinctas specie essentiali. Ratio est: nam operationes connaturalis & magis propriae cuiuscumque gratiae existentis sunt eiusdem speciei: ergo etiam ipsae gratiae. Patet consequentia: nam ab his potius, quam ab alijs debet desumi argumentum ad distinctionem, vel unitatem naturae. Antecedens verò probatur: nam in omnibus defectò existentibus actus charitatis, & visio beata sunt eiusdem speciei, ut nunc supponimus ex unitate formalis suorum obiectorum; sed haec operationes sunt connaturaliores, & magis propriae cuiuscumque gratiae defectò existentis: ergo operationes connaturaliores & magis propriae gratiae defectò existentis sunt eiusdem speciei.

Nec motivum insinuatum, suppositioni praecedenti oppositum, valet: Quia interdum contingit, quòd eadem forma accidentalis pro diversitate subiectorum diversos producat effectus, & diversas radice proprietates; & ita calor ut in igne producat ignem: in animali, ut est instrumentum potentiae nutritivae, producat sanguinem, & carnem: & in femina producat lac: *Et aqua, ut inquit Chrysostr. cum vultus sit speciei, vario modo operatur, dealbens in lilio, rubicans in rosa &c.* Ad hunc ergo modum, licet gratia sit eiusdem speciei, pro diversitate, exigentia, seu capacitate recipientium radicare potest diversas proprietates, & operari diversos effectus. Et hac de causa in Christo non radicat poenitentiam, nec in Angelis omnes virtutes morales infusas; & in nobis radicat vnam, & alias: & cum pertineat ad diversos status, in patria radicat lumen gloriae, & non fidem, & spem; & in via radicat fidem, & spem, & non lumen gloriae. Quibus adde, quòd plerumque gratia habet diversos modos accidentales, & ratione illorum potest radicare, & defectò radicat diversas virtutes, & producit diversos effectus: & ita se habent gratiae sacramentales, & gratia Adae, seu iustitia originalis. Et ad hunc modum distinguuntur defectò gratia minus, & magis intensiva.

Quibus suppositis, praesens controversia reducitur ad potentiam Dei absolutam. Circa quam

quam duplex est sententia. Prima affirmativa. Pro qua referuntur Ripalda, Granad. & alij iuniores Societatis. Secunda negativa. Ita omnes Thomistae, qui de hac re agunt. Alturisc. in Relect. quaest. 3. Arauco disp. 1. praebula sect. 4. & disp. 3. sect. 2. Ioannes à S. Toma quaest. 112. dis. 24. art. 1. Curiel ibidem dub. 2. §. 2. Zumel dub. 4. Montes art. 2. Gonet disp. 2. à num. 85. Ferre quaest. 10. à num. 546. NN. Salmant. disp. 4. dab. 8. alij, quos sequitur Suarez lib. 8. de Gratia cap. 3. num. 10. Pro hac ultima sententia sit.

§. I.

Sententia Thomistica.

83 **D**icendum est, non posse dari de potentia Dei absoluta gratiam essentialiter diversam, & specificè perfectiorem gratia nunc existente. Et probatur ratione a priori: nam gratia habitualis est participatio formalis naturae divinae, ut natura est; sed non est habilis adhuc de potentia Dei absoluta participatio formalis speciei distinctae, & perfectior nunc existente per gratiam: ergo non potest dari adhuc de potentia Dei absoluta alia gratia specie distincta, & perfectior gratia nunc existente. Minor probatur: nam quoties participabile, ut tale, est eiusdem rationis, participatio formaliter ipsum nequeunt non esse eiusdem rationis, si etiam habent eundem modum participandi. Cum diversitas participantium nequeat provenire, nisi ex diversitate formalitatis quae participatur, vel ex diverso modo illam participandi; atqui neutro ex his capitibus potest dari participatio specie perfectior nunc existente per gratiam. Probatur minor: nam imprimis non est possibilis natura specificè perfectior ea, quae participatur per gratiam; deinde modus, quo illam participat gratia nunc existens, est immediatus, formalis, & prout est in se, proindeque supremus omnium excogitabilem: ergo ex neutro capite potest dari participatio naturae divinae specificè perfectior nunc existente per gratiam.

Confirmatur primò, Nam quoties specificativum formale est formaliter idem, impossibile est, quòd specificata sint specie diversa; sed quilibet gratia habet idem specificativum formaliter, ac gratia nunc existens: ergo non est possibilis gratia specie diversa, & perfectior gratia nunc existente. Minor probatur: nam illa gratia possibilis esset participatio formalis naturae divinae, ut debet supponi, alias non esset perfectior, sed imperfectior; gratia habitualis nunc existens etiam est participatio formalis naturae divinae: ergo habent idem specificativum formaliter. Patet consequentia: nam utraque specificatur à natura divina sub conceptu na-

turae, & prout est in se: qua ratione nullus est actus charitatis possibilis, qui habeat diversum specificativum formaliter ab actu charitatis nunc existenti.

Confirmatur secundò. Si esset possibilis gratia specificè perfectior nunc existenti, etiam essent posibles operationes, virtutes ab ea procedentes, & effectus formales tam primarij, quam secundarij specificè perfectiores, necnon finis altior saltem quoad modum terminandi; sed omnia sunt falsa: ergo non est possibilis gratia perfectior specificè. Maior constat: tum inductive: tum quia non habemus aliud evidentiis signum cognoscendi diversas naturas nisi ex diversitate operationum, proprietatum, & effectuum formalium. Minor probatur quoad primam partem: nam praecipuae operationes cuiuscumque gratiae sanctificantis sunt visio Dei prout est in se, & actus charitatis quo diligimus Deum in seipso; sed non est possibilis visio Dei, prout est in se, perfectior specificè visione beatorum, & Christi, cum hac attingat totum Deum prout est in se, & illa nihil amplius ex formalibus praedicatis attingeret, sed ad summum aliquid ex eminentialibus attingeret, quod non satis est ad distinctionem specificam, alias omnes serè visiones Dei distinguerentur specie, quod est falsum, ut nunc supponimus: idemque accidit amori charitatis, qui attingit Deum in seipso immediate, & sub ratione summi boni: ergo non sunt posibles operationes specie diversae, & perfectiores. Ex quo manet probata eadem minor quoad secundam partem siquidem praecipuae proprietates gratiae nunc existentis sunt lumen gloriae, & charitas, quibus nequeunt dari aliae virtutes perfectiores, cum specificentur à praedictis operationibus.

Quoad tertiam etiam probatur: Nam effectus gratiae nunc existentis primarius est constituere Deum formaliter per participationem, & effectus secundarij sunt constituere amicum Dei, filium eius adoptivum, & heredem gloriae; sed non est habilis alius Deus per participationem specie diversus & perfectior, quam qui est formaliter talis per participationem, sicut non est habilis alius Deus per essentiam, nec habilis est perfectior amicitia, aut hereditas, ut liquet ex proximè dictis: ergo non sunt posibles effectus primarij, & secundarij specie nobiliores.

Quoad ultimam suadet: Nam finis naturalis gratiae est Deus in seipso sub ratione summi boni, & modus terminandi est iuxta modum attingendi illum; sed nequit dari altior finis, ut supponitur, nec modus illum attingendi, ut ex praedictis constat: ergo non est possibilis altior finis, adhuc quoad modum terminandi, illo, quem defectò habet gratia. Quae ratio cum suis confirmationibus adeo vrgens est, ut pra-

præcludat omnes vias evadendi vim illius: præcipue si supponatur, quæ leviter insinuavimus in limine dubij, & quæ alijs in locis diximus. Et licet posset dari visio essentia divina sine attributis, vel e converso, adhuc non convinceretur aliquid contra nos. Quia tantum posset colligi possibilem esse participationem formalem visionis divinæ imperfectiorem specie visione nunc existente; secus verò perfectiorem, cum visio nunc existens terminetur ad Deum secundum omnia sua formalia.

§. II.

Argumentorum enodatio.

84 **A**rguitur primò: Si non esset possibilis gratia specie distincta, & perfectior gratia nunc existenti, sequeretur, divinam omnipotentiam exhauriri per hunc effectum: siquidem non valet alium specificè perfectiorem producere iuxta dicta in hoc, & præc. dub. sed hoc est contra communem sententiam Philosophorum, quam sequuntur NN. Complut. abbrev. in Physic. disp. 18. quæst. 3. ubi asserunt, quod data quacumque specie, quantumvis perfecta, valet Deus aliam, & aliam speciem perfectiorem sine termino producere: ergo posset dari alia gratia specie distincta, & perfectior gratia, quam nos habemus.

Hoc argument. inflatur manifestè in vnione hypostatica, quæ absolute est perfectior specificè gratia habituali, vt supponimus. Unde vel est possibilis vnio hypostatica specificè perfectior vnione nunc existente in Christo; vel non? Si dicatur hoc secundum, vis argumenti non ponenda est in gratia, cum sit illa simpliciter perfectior vnio hypostatica, & propterea non est huius loci. Si dicatur primum, argumentum statim cadit.

Sed facta suppositione falsa, quod gratia sit simpliciter perfectior vnione hypostatica: Respondetur ad argumentum, negando sequelam maioris: quia licet gratia sit creatura nobilissima quoad suam speciem, & entitatem; potest tamen intendi vsque in infinitum synthetogorematicè per diversos modos specie diversos: & hoc satis est, vt natura divina possit magis, ac magis participari, & vt absolute non exhauriatur omnipotentia Dei. ¶ Adde primò, quod tunc dicitur cum omni proprietate omnipotentiam Dei exhauriri, quando produceret aliquam creaturam perfectissimam, non solum secundum suum esse specificum, sed etiam secundum modum habendi esse. Gratia autem ita est perfectior substantia quoad esse specificum, quod substantia sit perfectior illa secundum modum habendi esse; & nulla est substantia producta adeo perfecta, qua non possit alia, & alia perfectior vsque in infinitum produci. ¶ Ad-

de secundo, doctrinam illam communiter receptam inter Philosophos intelligi tantum de substantijs completis, inter quos quia non sunt participationes formales Dei, nulla determinata potest assignari perfectissima, sed data quacumque, potest dari vsque in infinitum alia, & alia perfectior secundum speciem. Alia ratio militat in creaturis, quæ sunt participationes formales Dei, quæ eo ipso perveniunt ad maximum quod sic. Et propterea Div. Thom. 1. part. quæst. 25. art. 6. ad 4. docet, quod Deus non potest producere aliquid melius visione beata in sua linea: sicut nec in sua maternitate perfectiorem maternitate Dei, quæ est in B. Virgine: idemque docet de humanitate Christi, vt vnita Verbo divino. Et in eadem quæst. art. 3. ad 3. docet, quod vitimum, quod potest facere omnipotentia, est parcere, & misereri, Quia parcendo hominibus, & miserendo perducit ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus divinæ virtutis. Quo quid clarius?

85 **A**rguitur secundo: Possunt dari vniones specie diversæ, & perfectiores vnione hypostatica nunc existenti: ergo etiam potest dari gratia specie distincta, & perfectior gratia nunc existenti. Consequentia à paritate constat. Antecedens verò probatur quoad primam partem: nam Deus potest hypostaticè vniri lapidi, & Angelis: in qua suppositione vnio hypostatica Angelis esset spiritualis, & lapidis corporea: sed spirituale, & corporeum distinguuntur plusquam specie: ergo possunt dari vniones specie diversæ. Quoad secundam etiam probatur: nam vnio hypostatica Angelis esset specie diversa à vnione nunc existenti: ergo & perfectior. Patet consequentia: quia, supposita diversitate specifica, alia qua ex illis debet esse perfectior; & potiori titulo hoc competere debet vnioni angelicæ, quam humanæ. Antecedens verò probatur: nam vnio hypostatica est quidam modus; sed modus est iuxta conditionem rei, cuius est modus: ergo distinguuntur specie.

Quondam super hoc, aut simili argumento audivi duo hæc à quodam Lectore ex nostratibus non modica subtilitate pollente, quod vnio hypostatica animæ Christi, & vnio hypostatica angelica possibilis specificarentur à Verbo divino, non præcisè prout est terminus, sed prout continet subsistentiam vnus, & alterius, itaut vnio hypostatica humana non specificetur à Verbo divino vt terminante vt sic, sed vt determinatè continet subsistentiam humanam illiusque vices supplet; & vnio hypostatica angelica ab eodem Verbo, vt determinatè continet subsistentiam angelicam, proindeque prout est multiplex formaliter. Quo non obstanti, aiebat, prædictas vniones distingui tantum numero. Hæc audivi, & miratus sum: nam si ratio sub qua est diversa, cur non refundit distincti-

fin-

inctionem specificam, vt contingit in omnibus respectivis? Et quomodo ab eis sumitur diversitas numerica, quæ, sicut vnitas, desumitur à subiecto, & non ab eo quod habet rationem formæ? Propter hæc, & alia prædicta solutio, & doctrina non placuit. Ideoque illa missa:

Respondetur argumento, quod sunt posibles duæ vniones hypostatica specie diversæ, si vna est spiritualis, & alia corporea, vt rectè probat. Sed ex hoc non potest argui possibilem esse vnionem specie perfectiorem vnione defecto existenti, quæ in probabiliori sententia est spiritualis, sed potius oppositum. Nec potest rectè argui esse posibles gratias specie diversæ; cum nulla sit possibilis gratia habitualis corporea. Et data hæc hypothesi, non esset perfectior gratia nunc existenti, sed e contra. Si verò vniones hypostaticæ ponantur spirituales, vt vnio naturæ humana, & angelicæ, aut duæ vniones duplicis naturæ angelicæ, non essent specie diversæ: quia eius diversitas non fumeretur à prædicato divino participato: nec à Verbo divino vt terminante: nec à subiecto, vel quia accidens, aut quasi accidens extraneum tantum sumit suam vnitatem numericam à subiecto: vel quia solum recipiunt illas ratione potentia obedientialis, in qua non distinguuntur natura humana, & angelica, vel duæ naturæ angelicæ; aliis visio beata humana, & angelica distinguuntur specie. Unde argumentum debet retorqueri in adversarios.

86 **A**rguitur tertio. Possibilis est fides specie diversa, & perfectior fide nunc in homine existente: ergo idem dicendum est de gratia. Consequentia constat: diversitas enim specifica proprietatum arguit iuxta nos diversitatem in natura. Et antecedens probatur primò: nam fides nunc in homine existens innititur auctoritati Dei obscure revelantis: item possibilis est fides innitens auctoritati Dei clare loquentis, seu evidentia in attestante; sed hæc esset specie distincta à priori, illaque perfectior, cum motivum illius sit adeo diversum, & excellentius: ergo possibilis est fides specie diversa, & perfectior fide nunc in homine existente. Secundo: Fides, quam habuit Angelus, erat specie diversa, & perfectior humana: ergo idem quod prius. Antecedens probatur: nam actus fidei erat specie diversus, & perfectior: quia homo credit formaliter componendo, secus verò Angelus: ergo etiam fides Angelis erat specificè perfectior.

Ad hoc argument. respondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quod obiectum formale fidei est obiectum obscurum revelatum; claritas verò, aut obscuritas respectu revelationis se habet omnino per accidens. Ideoque Prophetæ, Apostoli, & Evangelicæ, qui, teste D. Thom. 2. 2.

quæst. 171. art. 5. habuerunt evidentiam in attestante, per eandem numero fidem, per quam alias assentiebantur eius mysterijs, assentiebantur illis in præsentia evidentia revelationis. Ad secundam: Respondetur, differentias illas non esse persè exactas à fide, licet eas permitat ex conditione subiecti, cui inest. Sed de hoc plura dicemus ad 3. part. quæst. 11.

87 **A**rguitur vltimò. Intellectus divinus est pluribus modis specie diversis participabilis: ergo etiam natura divina. Antecedens est certum: siquidem participatur à lumine gloriæ, à prophetia, à fide, & ab alijs virtutibus intellectualibus. Consequentia verò probatur à paritate: nam non minus simplex est intellectus divinus, ac natura divina; hoc non obstante, intellectus divinus potest pluribus modis specie diversis participari: ergo etiam natura divina.

Hoc argument. sicut præcedens, si esset efficax, fuaderet dari defecto plures gratias specie diversæ: cuius oppositum supponimus. Respondetur ergo concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ratio discriminis est: quia omnes alia virtutes intellectuales, excepto lumine gloriæ, non sunt participationes formales intellectus divini, cum talia prædicata non sint in Deo formaliter; & nulla est repugnantia in eo, quod eisdem prædicati divini sit duplex participatio, alia virtualis, & alia formalis, vel plures virtuales specie diversæ. Est tamen implicatio, quod dicitur duplex participatio formalis eiusdem prædicati divini specie diversa, & propterea repugnant duo lumina gloriæ specificè diversa. Ad hunc ergo modum repugnant gratia specie diversæ, quia quælibet ex illis esset participatio formalis naturæ divinæ. Diximus: est tamen implicatio. Quod intelligi debet de duplici participatione formali, & eodem modo, nempe vel vtraque permanenti, vel vtraque ex natura sua transeunte (quod discrimen non habet locum in gratia habituali) vt occurramus exemplo luminis gloriæ beato communicati, & luminis gloriæ Div. Paulo colati.

DUBIUM IX.

Utrum per potentiam Dei absolutam possit aliqua creatura physice principaliter producere gratiam?

88 **S**upponimus primò, Christum Dominum esse causam principalem moralem gratiæ, quia meruit nobis de condigno gratiam habitualement, vt docet Trid. sess. 6. cap. 7. ¶ Supponimus secundo, nullam causam creatam producere defecto principaliter gratiam habitualement. Ita apertè colligitur ex Trid. dum expressè definit, Deum esse causam effici-

cientem gratia. Et licet Concilium non expreſſe vtatur particula taxatiua tantum, aut alia ſimili: ex ipſius tamen doctrina manifeſte colligitur, cum recenſeat omnes cauſas, quæ ad eius productionem tam phyſicè, quàm moraliſter, tam participatiuè, quàm instrumentaliter concurrunt, & de nullo alio præter Deum docet, quòd eſt cauſa principalis phyſica. Hæc eadem veritas euidenter deducitur ex ſacris literis, in quibus ſolus Deus dicitur peccata remittere: ergo ſolus Deus vt cauſa principalis gratiam remiſiſſivam peccati producit. ¶ Supponimus tertio, tam Chriſtum Dominum, quàm ſacramenta producere phyſicè instrumentaliter gratiam. De quo nihil amplius, quia pertinet ad tract. de Incarn. & de Sacramentis. Sola ergo concertatio inter Scholaſticos poteſt eſſe, an de potentia abſoluta gratia habitualis poſſit produci phyſicè ab aliqua creatura tanquam à cauſa principali?

§. I.

Veræ, & communis ſententia.

89 **D**icendum eſt, implicare, quòd gratia habitualis producat principaliter ab agente creato. Ita D. Thom. in præf. quaſt. 112. art. 1. aliſque in locis, quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, & reliqui Scholaſtici. Et probatur ratione fundamentali Div. Thomæ: quia nulla res poteſt principaliter producere gratiam, niſi ſit perfectior illa; ſed nulla res creata poteſt dari, quæ ſit perfectior gratia, immò nec illam adæquare: ergo implicat, quòd gratia principaliter producat ab agente creato. Minor ſupponitur ex dubijs præcedentibus. Maior autem probatur: quia nulla res poteſt agere principaliter extra ſuam ſpeciem, niſi ſit potior ſuo effectu; ſed cauſa creata, ſi produceret principaliter gratiam, ageret extra ſuam ſpeciem, cum gratia ſit ſupernaturalis, & participatio formalis naturæ divinæ, & impoſſibilis ſit ſubſtantia ſupernaturalis creata: ergo nulla res poteſt producere gratiam, niſi ſit illa perfectior. Maior, in qua tantum poteſt eſſe difficultas, probatur: nam omnis cauſa principalis debet præcontinere ſuum effectum: quòd vtique non poteſt eſſe, niſi ſit æqualis perfectionis, ſi effectus eſt intra eandem ſpeciem; vel ſuperioris perfectionis, ſi eſt extra ſuam ſpeciem. Et in hoc ſenſu intelligenda eſt prima propoſitio D. Thom. nempe: *Nulla res poteſt agere ultra ſuam ſpeciem, quia ſemper oportet, quòd cauſa ſit potior effectu.* Nec prodeſt recurſus ad vnionem hypotaſticam: quia hæc non eſt actiua, cum non habeat rationem formæ phyſicæ, ſed tantum ſit nexus ſuppoſiti diuini cum humanitate. Et propterea Chriſtus Dominus nequit elicere operationem vllam ſuper-

naturalem, niſi eueletur per aliquam virtutem ſupernaturalem.

90 Sed respondebis, ex ratione D. Thom. efficaciter quidem ſuaderi, quòd nulla creatura poſſit per virtutem propriam, & connaturalem, aut per aliam ſupernaturalem minus perfectam producere gratiam. Cum quo tamen ſtat, quòd poſſit producere illam per ipſam gratiam: quia ad hoc, vt aliqua cauſa producat principaliter aliquem effectum, fatiſ eſt, quòd virtus, per quam agit, ſit eiufdem perfectionis: ideoque ignis producit alium ignem.

Sed hæc euaſio, quæ procedit ex non penetrata ratione D. Thom. multipliciter reſellitur. Primo: nam ſi creatura aliqua poſſet producere principaliter gratiam per aliam gratiam in ſe exiſtente, defectò illam produceret: quia omnis cauſa habens nativam virtutem ad producendum aliquem effectum, defectò illum producit, niſi fortè Deus id impediatur contra eius nativam & propriam perfectionem; ſed hoc eſt falſum, & contra ſuppoſitionem factam: ergo creatura nequit per gratiam producere principaliter gratiam.

Secundo. Si gratia poſſet producere principaliter aliam gratiam eiufdem ſpeciei, hæc gratia non eſt immediata, & formalis participatio naturæ divinæ, ſed alterius gratiæ, ſicut ignis productus ab altero igne eſt participatio formalis ſolius ignis productus; ſed hoc eſt contra eſſentiam gratiæ habitualis, quæ eſt immediata, formalique participatio naturæ divinæ: ergo nequit vna gratia principaliter produci ab alia, ſed tantum à natura diuina.

Tertio (per quòd prædicta magis declarantur.) Nam creatura habens gratiam non poteſt principaliter producere aliam vel in ſe, vel in alio: ergo non poteſt producere principaliter gratiam. Antecedens quoad primam partem liquet; aliàs duo accidentia tantum numero diſtincta poſſent eſſe in eodem ſubiecto. Quoad ſecundam oſtenditur: nam vt cauſa aliqua poſſit producere principaliter effectum in alio, neceſſe eſt, vt ultra adæquationem cum eo in perfectione detur debita approximatio agentis ad paſſum; ſed nulla cauſa creata habens gratiam poteſt habere debitam approximationem cum alio ſubiecto, in quo producenda foret: ergo non poteſt producere principaliter gratiam in alio. Minor probatur: quia ſubiectum gratiæ eſt anima rationalis, vel ſubſtantia ſpiritualis; ſed nulla creatura poteſt debite approximari ſubſtantie ſpirituali: nam hæc approximatio ſolum poteſt fieri per intimum illapſam, qui repugnat creaturæ reſpectu ſubſtantie ſpiritualis: & propterea docet D. Thom. quaſt. 27. de Verit. art. 3. quòd ſolus Deus operatur intra animam, & ita licet ſcientia, aut ars exiſtens in intellectu vnus

§. II.

Obiectiones contra rationem, & conſuſionem.

92 **A**dverſus noſtram aſſertionem ſolum valent adduci quidam Reſcientiores, quos ſuppreſſo nomine reſert Curiel in præf. §. 3. aſſerentes humanitatem Chriſti eſſe cauſam principalem gratiæ. Et arguitur primo: nam Chriſtus vt homo eſt cauſa principalis moraliſ noſtræ gratiæ habitualis: ergo eſt, vel poteſt eſſe cauſa principalis phyſica. Patet conſequentia: nam non minor virtus requiritur ad productionem moralem, quàm ad productionem phyſicam gratiæ; cum ad eam requiratur virtus infinita. Adde, & vrgenter: Nam cauſa principalis phyſica eſt illa, quæ producit vere effectivè ſimile ſibi; ſed humanitas Chriſti vere phyſicè producit gratiam noſtram, quæ eſt eiufdem ſpeciei cum gratia Chriſti: ergo producit illam principaliter phyſicè.

Ad hoc argument. (in quo magnam difficultatem Ferre præſentit; & noſtro iudicio omni difficultate caret.) Reſpondetur, conſeſſo antecedenti; negando conſequentiam, ob apertam rationem diſparitatis. Nam ad cauſalitatem moralem ſufficit adæquatio inter meritum, & præmium, ordinatioque extrinſeca inter merentem, & præmiatam: quæ omnia ſalvantur inter meritum Chriſti procedens ex ſua gratia habituali, & gratiam noſtram. Cæterum ad productionem phyſicam principalem præter adæquationem cauſæ cum effectu requiritur approximatio phyſica agentis cum paſſo, quam Chriſtus vt homo non habet cum animabus noſtris, ſicut nec intimum illapſum. Et propterea licet vt homo poſſit eſſe cauſa principalis moraliſ noſtræ gratiæ, ſecus verò cauſa principalis phyſica.

Per quòd conſtat ad additamentum. Nam cauſa principalis phyſica eſt illa, quæ producit effectivè phyſicè effectum per virtutem adæquantem eius perfectionem; virtus autem, per quam humanitas Chriſti phyſicè producit noſtram gratiam, non eſt gratia habitualis in ea exiſtens: & ex defectu prædictæ conditionis nequit eſſe cauſa principalis, ſed tantum instrumentalis, vt perpetuo docet D. Thom. ad cuius influxum non requiritur coniunctio phyſica agentis ad paſſum, vt liquet in pluribus inſtrumentis divinæ virtutis. Suppoſito ergo, quòd humanitas Chriſti non eſt cauſa principalis, ſed tantum instrumentalis, virtus, per quam producit gratiam noſtram, debet eſſe adiuncta motionis tranſeuntis, quæ non peccat, nec poteſt adæquare perfectionem gratiæ.

93 Arguitur ſecundo. Nam ſicut impoſſibile

adaquet, immò & excedat ſcientiam, quæ eſſet in alio, nequit principaliter producere ſimilem ſcientiam in illo: ergo nulla cauſa creata habens gratiam poteſt habere debitam approximationem cum alio ſubiecto, in quo producenda eſſet.

91 Ex dictis inferatur primò, nullam creaturam poſſe producere principaliter habitus ſupernaturales, vel in ſe, vel in alio. Tum quia ille ſolus valet producere proprietates principaliter, qui poteſt producere naturam; ſed habitus ſupernaturales ſunt proprietates gratiæ: ergo ſi non poteſt vlla creatura producere principaliter gratiam, non poterit producere habitus. Tum etiam: nam per gratiam non poteſt illos producere, quia non eſt immediatè operativa, nec per nativam virtutem naturæ creatæ, quia nulla res poteſt agere ultra ſuam ſpeciem, vt inquit D. Thom. nec per ſimiles habitus, aliàs duo accidentia tantum numero diverſa eſſent in eodem ſubiecto: nec per alios habitus ſuperiores, v.g. per charitatem, virtutem iuſtitiam, quia ultra æqualem, vel maiorem perfectionem cauſæ, debet dari debita approximatio agentis ad paſſum, vt ſuprà inſinuavimus: ergo nulla creatura poteſt principaliter producere habitus ſupernaturales. Reſolantur quæ diximus tract. 1. diſp. 2. dub. 5.

Inferatur ſecundo, nullam creaturam poſſe principaliter phyſicè efficiere intenſionem gratiæ, & virtutum inſuſurum. Ratio eſt: tum quia ad eandem cauſam ſpectat producere qualitatem, & illam intendere; ſed nulla creatura poteſt principaliter phyſicè producere gratiam, & eius virtutes: ergo nec illas intendere. Tum etiam: nam ideo nequit in ſe producere gratiam principaliter, quia non illam præcontinet; ſed gratia vt quatuor non præcontinet gratiam vt octo: ergo. Sed de hoc expoſeſſo agemus tract. de Char.

Inferatur tertio, non poſſe vllam creaturam producere principaliter phyſicè minimum auxilium gratiæ, ſive ſufficiens, ſive efficax. Pro quo omnino ſupponenda eſt doctrina diſp. ſequenti danda circa eſſentiam vtriuſque auxiliij, & quibus dicemus conſiſtere in quadam qualitate intrinſeca, & fluida præcedente omnem actum creaturæ. In qua ſuppoſitione breuiter probatur ex dictis: tum quia auxilium ſufficiens deſtinatur ad dandas vires, quas natura non habet ex ſe ad actus ſupernaturales: ergo nequit illud principaliter producere; aliàs ſicut haberet vires ad producenda auxilia, etiam illas haberet ad producendos prædictos actus. Tum etiam: quia ſolus ille poteſt producere auxilium efficax, qui habeat abſolutam poteſtatem convertendi corda hominum; ſed hanc habet ſolus Deus:

ergo.

.